FESTUM PENTECOSTES

Anno MDCCCXXXIV

IN

ACADEMIA TUBINGENSI

PIE CELEBRANDUM

PUBLICO NOMINE INDICIT

FACULTATIS EVANGELICO-THEOLOGICAE COLLEGIUM

INTERPRETE

D. FERDINANDO CHRISTIANO BAUR.

Comparatur Eusebius Caesariensis, historiae ecclesiasticae parens, cum parente historiarum, Herodoto Halicarnassensi.

TUBINGÆ
TYPIS HOPFERI DE L'ORME.

Recolentes sacris his diebus magnæ illius rei memoriam, qua factum est olim, ut primi Jesu Christi discipuli, novo impleti spiritu, novis linguis pronunciarent celebrarentque, quæ mirifico plane modo et divinitus acciderant, memores simul esse jubemur, ab eodem illo spiritu divino profecta etiam esse, quæcunque scriptorum, quos nacta est christiana ecclesia, ingenio, industria et arte ad tradendam rerum in ea gestarum memoriam ad nos perlata sunt. Ut enim hac ipsa in re luculento ob oculos positum est exemplo, ipsam rerum gestarum magnitudinem suos sibi excitare testes, novis quasi ad enarranda ea, quæ divinitus gesta essent, divinitus instructos linguis, ita ab eo inde tempore, quo ipsa esse coepit christiana ecclesia, nunquam defuerunt alia atque alia summi Dei μεγαλεῖα, nullo tempore reticenda, sed pleno ore expromenda, celebranda et æternæ hominum memoriæ tradenda. Si autem, quod inter omnes constat, quæ gesta sunt, digno gestis rebus loquendi genere non aliter dici scribique possunt, nisi eodem, quo gesta sunt, animo dicantur scribanturque, eandemque ob causam omnia scriptorum opera ex rerum narrandarum natura et indole suum ducere debent colo-

rem, unde vera tantoque nomine digna existere potuit rerum christianarum historia, nisi idem ille spiritus divinus, qui decurrentem per secula gubernat moderaturque christianam ecclesiam, scribentium etiam animos tetigisse et imbuisse putandus sit? Quod igitur inter profanam sacramque, quam dicunt, historiam interest discrimen, quod maximum omnino et gravissimum esse, nemo negare potest, id ad spiritum illum, quem inesse Christianorum animis christiani hominis conscientia testatur, referendum est, nec vana est fides, novis illis linguis, quibus in ipsis ecclesiæ primordiis loqui coepit spiritus divinus, eundem nec sequentibus postea temporibus, nunquam deficiente largissima loquendi materia, desiisse unquam loqui.

Quibus præmissis quamquam ab hac, quæ data est nobis, scribendi materia haud alienum videri possit, Eusebii Cæsariensis meminisse, quem, si a Luca discesseris, sacro apostolicæ ætatis scriptore, historiæ ecclesiasticæ parentem omnes ferunt, ea tamen, quam facere instituimus inter hunc scriptorem et Herodotum Halicarnassensem comparatio, haud scio, an unum alterumve offendat, injecta subita horum nominum mentione. Negari quidem non potest, eodem, quo Eusebius historiæ ecclesiasticæ parens nominatur, jure, immo majori, Herodotum historiarum parentem primumque auctorem celebrari, at, si tanta est, quantam esse diximus, rerum omnium diversitas, si re-

rum christianarum scriptores novo imbuti impletique sunt spiritu, cujus ne minima quidem pars ad scriptorem christianæ rei prorsus ignarum pertinere potest, quid hæc sibi velit comparatio, nisi in sola nominum, quæ utrique scriptori tribui solent, similitudine subsistendum sit, est sane, quod quæras. Re autem accuratius considerata, vanam esse hanc dubitationem, facile apparet. Hoc enim maxime admirabile est in omni re christiana, quod novum, quem condidit, rerum statum ordinemque ita modo in humani generis societatem ingredi voluit, ut singulis quibusque, quantum fieri posset, sua libertas integra maneret. Hinc nihil violenter actum, nihil temere mutatum sublatumque, sed quamquam nova omnia fierent, novoque imbuerentur spiritu, idem tamen spiritus nullam sprevit formam antiquitus traditam, quam qualicunque modo in suos usus convertere posset. Ut igitur ea est humani animi natura, ut quacunque in re certa quadam lege certoque tenore progrediatur, nec subito ea omnia exuere et abjicere possit, quæ cum populorum ingenio coaluerunt, longoque temporum usu commendata in totam sentiendi vivendique rationem abierunt, ita etiam primis illis ecclesiæ christianæ temporibus eadem eodem fere modo et nova et antiqua esse videmus. Nova enim sunt, quia christiana sunt, antiqua autem, quia Christianismus ipse formas induit antiquitus traditas. Quin, quæ singu-

laris est Christianismi indoles, in eo etiam cernitur, quod, dum novo populos erigeret vigore, ea ipsa simul, quæ propria maxime erant et singularia singulis populis, eo autem tempore longo jam torpore obmortua, in novam quasi vitam revocavit, novoque impleta vigore vitæ hominum reddidit. Itaque, si rerum illarum, quæ primis christianæ ecclesiæ temporibus fuerunt, faciem contemplamur, fieri non potest, quin iterum atque iterum animo nostro obversetur veteris Græciæ imago, quæ nova Christianismi affulgente luce, nova et ipsa resplenduit luce, Christique addicta saluti novas resumsit vires. Novi jam exstitere philosophi, sed, dum christianæ religionis dogmata et præcepta libris suis tradere voluerunt, haud scias, utrum Platonis an Christi veriores eos appelles discipulos. Hoc Justino, et philosopho et martyri, hoc iis omnibus, quibuscum proximo vinculo junctus est, hoc Clementi Alexandrino, hoc magno Origeni, quem Platonem dicas christianum, maxime fuit proprium. Summa profecto veteris Græciæ oratores admiratione habentur, satisque constat, Græciam esse non posse, nisi suos habeat oratores, quis autem, si vel unum audierit Joannis Chrysostomi nomen, negare audeat, christianam quoque Græciam eloquentiæ monumenta reliquisse, veteris Græciæ oratoribus haud indigna? Neque alia est historicorum ratio. Si amplæ illius gloriæ, qua hoc potissimum scriptorum genus ve-

terem Græciam nobilitavit, aliqua certe ad christianam ætatem delata est umbra, laudis hujus haud minimam partem suo sibi jure vindicat Eusebius Cæsariensis, ut nobis quidem videtur, eundem fere inter græcos christiani nominis historicos locum obtinens, quem inter veteres Herodotus occupavit.

Quam comparationem dum paucis persequi instituimus, nequaquam nos latet, quanta sit, vel omissis iis omnibus, quæ ad fidem Christo habitam pertinent, utriusque scriptoris dissimilitudo. Antiquam illam historias scribendi artem, naturali sua simplicitate et venustate legentium animos delectantem, frustra quæsieris in scriptore serioris ætatis, qua plenum illud musarum numine tempus dudum abierat, et præstantissimi etiam auctores nihil aliud impensius sectabantur, quam verborum ornatum, rerumque apparatum, qualis Alexandrinis præcipue placere solebat. Rerum præterea ab utroque scriptore narratarum quam maxime diversa fuit ratio. Alter enim totum, qui tum primum Græcorum patebat oculis, et tot tantarumque rerum novitate omnium animos advertebat, opere suo complectebatur orbem terrarum, alteri autem in arcto et inglorius quodammodo labor erat. Inter angustos enim, qui tum ecclesiæ christianæ positi adhuc erant, fines tota se continet narratio, pleraque, quæ referenda erant, comparata cum insigni rerum ab antiquis scriptoribus narratarum va-

rietate et magnitudine, levia admodum et memoratu vix digna videri possunt, rerumque relatarum eadem fere iterum atque iterum redit series et facies. At, quamquam hæc ita se habeant, alia tamen haud pauca mihi esse videntur, comparandi materiam præbitura, eoque minus negligenda, quo major reliquarum rerum dissimilitudo est, et quo alienior scriptoris, quem cum Herodoto comparaturi sumus, animus a consilio fuisse videtur, hunc auctorem imitandi. Neutiquam enim, ut hoc etiam moneamus, comparationem hanc ita velimus intelligi, ut Eusebius ipse Herodoti exemplum imitandum sibi proposuisse existimetur. Nemini sane, qui Eusebii libros legerit, ulla hujus rei suspicio in mentem venire potest. Omnia potius, quæ similitudinem quandam exhibent, non arte quæsita sunt, sed sponte, ipsa rei natura, oblata *). Quæ autem huc pertinere mihi videntur, hæc fere sunt:

*) Thucydidis procœmium ob oculos habuisse videtur Socrates in procœmio libri VI. historiae ecclesiasticae ad scribendas suo tempore res gestas transitum faciens his verbis: *Τῇ τῶν νόμων ἱςορίᾳ πειθόμενος, οἳ τὴν τῶν πραγμάτων ἀπαιτοῦσι διήγησιν καθαρὰν καὶ ἀληθῆ καὶ παντὸς ἀπηλλαγμένην ἐπικαλύμματος, ἐπ' αὐτὴν βαδιοῦμαι λοιπὸν τὴν ἐξήγησιν, ἅ τε αὐτὸς ἐθεασάμην συγγράφων, ἅτε παρὰ τῶν ἑωρακότων ἠδυνήθην μαθεῖν, δοκιμάζων τἀληθὲς ἐκ τοῦ μὴ παραλλάττειν κατὰ ἀπαγγελίαν τοὺς διηγουμένους αὐτά. Ἐπίπονος δέ μοι τὸ ἀληθὲς ἐγνωρίζετο, πολλῶν τε καὶ διαφόρων ἀπαν-*

1. Consilium scribendi in utroque scriptore ad easdem causas referendum est.
2. Historicam utriusque fidem eadem lege æstimare debemus.
3. Relatæ ab utroque res, si summam earum, supremamque legem, ad quam singula quæque referuntur, spectes, similem exhibent imaginem.

γελλόντων, καὶ τῶν μὲν παρεῖναι λεγόντων τοῖς πράγμασι, τῶν δὲ πάντων μᾶλλον ἀξιούντων εἰδέναι. Conferas celeberrimum Thucydidis locum I, 21. 22. Idem scriptor ecclesiasticus in eo etiam Thucydidem imitatus esse videtur, quod eodem fere discrimine semet ipsum a priscis historiarum scriptoribus sejunctum esse dixit, quo Thucydides a logographis, qui ante ipsum fuerunt, abesse voluit. *Ἴσθι δὲ ἡμᾶς*, eodem loco ait, *μὴ ἐσπουδακέναι περὶ τὴν φράσιν, ἐννοήσαντας ὡς εἴ τι σπουδάσαιμεν καλλιλεξίᾳ χρήσασθαι, ἴσως μὲν καὶ ἀποπεσούμεθα τοῦ σκοποῦ· εἰ δὲ καὶ ἐπιτευξόμεθα, οὐ τοιαῦτα πάντως δυνησόμεθα γράφειν, οἷα τοῖς παλαιοῖς συγγραφεῦσιν εἴρηται, δι᾽ ὧν αὔξειν τε καὶ χείρονα ποιεῖν νομίζοιτο ἄν τις τὰ πράγματα. Ἔπειτα δὲ καὶ οὐδαμῶς οἰκοδομήσει τοὺς πολλοὺς καὶ ἰδιώτας ὁ λόγος, οἳ τὰ πράγματα βούλονται μόνον εἰδέναι, οὐ τὴν λέξιν ὡς καλῶς συγκειμένην θαυμάσαι. Ἵνα οὖν μὴ ἀμφοτέροις ἀνόητος ἡ πραγματεία γένηται, τοῖς μὲν εὐπαιδεύτοις, ὅτι μὴ ἀξία τῇ παλαιᾷ φράσει συγκρίνεσθαι, τοῖς δὲ ἰδιώταις, ὅτι μὴ δύνανται ἐφικέσθαι τῶν πραγμάτων καλυπτομένων ὑπὸ τῆς κομψείας τοῦ λόγου, τὴν σαφεστέραν μὲν δοκοῦσαν, ταπεινοτέραν δὲ φράσιν ἐπετηδεύσαμεν.* Ita de veterum scriptione judicans, spernit reprobatque, quibus imparem simul se esse profitetur! At hoc quidem Thucydideum non est.

Cap. I.

De consilio, quo uterque scriptor ad scribendas res gestas accessit.

Quibus ab initiis proficiscatur historias scribendi ars, quæ Herodotum, quæque Eusebium præcedebant tempora perinde ostendunt, neque, nisi priora illa consideres, quomodo alter profanæ, alter sacræ historiæ primus extiterit auctor, explicari potest. Qui apud Græcos ante Herodotum primi exstitere rerum gestarum scriptores, logographi *) appellari solent, quippe qui medii essent inter epicos poetas, qui post Homeri ætatem, Homerumque secuti auctorem, epicis carminibus antiquam rerum gestarum memoriam tradebant, eosque scriptores, qui historias historica arte scribendi prima fecerunt initia. Inerat logographis jam cogitatio, aliud esse poetarum, aliud historicorum negotium, et cum prima sit historiæ lex, vera tradere, non in *μύθοις*, audientium et legentium animos delectantibus, sed in *λόγοις*, certam rerum gestarum fidem præbentibus, omnem ponendam esse ejus operam, cujus rei documentum in eo etiam cernitur, quod non

---

*) Hoc eos nomine appellavit Thucydides I, 21. Conferendus omnino hac de re praestantissimus Creuzeri, viri summi, liber: Die historische Kunst der Griechen, in ihrer Entstehung und Fortbildung. Leipz. 1803. p. 63 seq. 170.

ligata sed soluta jam uti coeperunt oratione. Sed prima adhuc erant historiæ incunabula et tenuissima initia, luctandumque ei erat cum omnibus iis difficultatibus, quæ ex ætatis parum adhuc excultæ indole oriebantur. Scribendi materia multo demum labore conquirenda erat, librorumque apparatus, quo serioris ætatis scriptores utebantur, multis nonnisi et longinquis peregrinationibus compensari poterat. Ut certi firmique aliquid haberent, cui insisterent, singulorum locorum et monumentorum memoriam sequebantur, quæque singulis quibusque locis percunctando acceperant, quanta fieri poterat, fide referebant, fabulis tamen mixta qualibuscunque, quas et ipsas ab aliis audierant. Jam quidem non domesticis solum rebus, sed exteris etiam terris gentibusque animum advertebant, sed toto, quod agebant, negotio, ita modo fungebantur, ut singula singulis jungerent, et imaginem exhiberent variam quidem et multiplicem, sed nulla certa lege compositam, et ubique testantem, quam exigua et tenuis adhuc esset rerum gestarum memoria, et quam anxie inhæreret scribentium animus singulis quibusque, quorum pro singulorum locorum opportunitate aliqua ad eos delata esset fama. Ex hoc scriptorum genere ii erant, qui proxime Herodotum antecedebant, quibuscum si Herodotum ipsum comparamus, in eo maxime eminere cernimus hujus scriptoris præstantiam, quod tum amplior jam scribendarum re-

rum cogitatio animum ejus implevit, tum ea ipsa, quæ narranda sibi sumsit, non eo, quo singula quæque singulis locis audita erant, ordine, sed certo quodam consilio, certaque lege disposita tradere voluit. Erectiore igitur et liberiore animo rebus, quas narraturus erat, superiorem eum esse videmus. Hoc autem tum demum fieri potuit, postquam gestæ res erant, quæ scribendi materiam multo ampliorem et graviorem præbebant, quam quæ ad id usque tempus acciderant. Quod quanti momenti sit, ex iis maxime apparet, quæ Herodotus ipse in operis sui prooemio professus est. Eo enim consilio historias suas scripturum se esse testatur, *ὡς μήτε τὰ γενόμενα ἐξ ἀνθρώπων τῷ χρόνῳ ἐξίτηλα γένηται, μήτε ἔργα μεγάλα τε καὶ θωϋμαστὰ, τὰ μὲν Ἕλλησι, τὰ δὲ βαρβάροισιν ἀποδεχθέντα ἀκλεᾶ γένηται, τά τε ἄλλα, καὶ δι' ἣν αἰτίην ἐπολέμησαν ἀλλήλοισι.* Videmus inde, quo arcto vinculo rerum narrandarum natura cum artis historiæ initiis cohæreat. Quæ tum gesta erant inter Græcos Persasque bella memoratu dignissima, tanta scriptoris animum affecerant admiratione, ut jam non modo rectius certiusque, quam qui ipso priores erant, intelligeret, quam gravi et quam amplo fungendum sit historiæ munere, sed etiam ea omnia quæ ante id tempus gesta erant, nova et clariore illustrata luce cerneret. Hinc a bellis illis tota exoritur narratio, ad ea iterum atque iterum redit, utque Persæ alias atque alias gentes terrasque arma

circumferendo petebant, ita Herodotus etiam bellorum horum seriem, Persarumque gentis historiam sequitur, libero ubique egressu memorans, quæcunque singulis in gentibus terrisque memoratu digna obvenere. Cum igitur ampliore rerum cognitione (quam quanto studio et quam longinquis itineribus sibi comparaverit, inter omnes constat) alios omnes, qui ante ipsum scribendis historiis operam dederunt, superare, adeo ut in eo uno undique quasi collecta essent, quæcunque illo tempore perpetuæ hominum memoriæ tradenda erant, ea omnia simul mente sua ita complectebatur, ut in pulcherrima, quam ante oculos nostros pictoris instar explicuit, imagine singula quæque ad unum eundemque finem tendere, suo quodam vinculo cohærere, et in unius quasi corporis formam coalescere cernamus. Hac re potissimum scriptoris hujus enituit ingenium, unde scribendi etiam consilium longe alia ratione in eo enatum est, quam in illis omnibus, quippe qui eam scribendarum rerum magnitudinem animo concepisset, ut ipsa rei natura, gravissimi, quo historiæ fungendum sit, muneris cogitatione, ne evanescerent suaque gloria carerent, quæ nullo unquam tempore hominum memoria excidere debebant, ad scribendum impelleretur.

Quæ omnia si animo reputamus, inter Herodotum et antiquiores logographos nullam aliam rationem esse videmus, quam inter Eusebium, et eos, qui ante ipsum

tradendarum rerum ecclesiasticarum initium fecerant. Hoc tantum interest discrimen, quod, quæ priora sunt Eusebio, angustioribus inclusa sunt terminis. Priorum Eusebio scriptorum historicorum celeberrimi erant Papias et Hegesippus, qui, quantum ex ipso inprimis Eusebio eos cognitos habemus, eodem fere loco habendi mihi esse videntur, quo veteres logographi. Et ipsi enim in eo omnem ponebant operam, ut, quæ singulis quibusque locis per manus tradita essent, colligerent, collectaque ita referebant, ut singulis quibusdam rebus inhærerent et intra augustos admodum fines se continerent. Quod quam vere sit dictum, ex notissimo illo Eusebii de Papia loco (H. E. III, 39.) apparet, ubi hunc ipsum hæc de se profitentem inducit: *οὐκ ὀκνήσω καὶ ὅσα ποτὲ παρὰ τῶν πρεσβυτέρων καλῶς ἔμαθον, καὶ καλῶς ἐμνημόνευσα, συγκατατάξαι. ταῖς ἑρμηνείαις, διαβεβαιούμενος ὑπὲρ ἀυτῶν ἀλήθειαν. Οὐ γὰρ τοῖς τὰ πολλὰ λέγουσιν ἔχαιρον, ὥσπερ οἱ πολλοὶ, ἀλλὰ τοῖς τἀληθῆ διδάσκουσιν. — Εἰ δέ που καὶ παρηκολουθηκώς τις τοῖς πρεσβυτέροις ἔλθοι, τοὺς τῶν πρεσβυτέρων ἀνέκρινον λόγους· τί Ἀνδρέας, ἢ τί Πέτρος εἶπεν, ἢ τί Φίλιππος, ἢ τί Θωμᾶς, ἢ Ἰάκωβος, ἢ τί Ἰωάννης, ἢ Ματθαῖος ἢ τις ἕτερος τῶν τοῦ κυρίου μαθητῶν, ἅ τε Ἀριστίων καὶ ὁ πρεσβύτερος Ἰωάννης, οἱ τοῦ κυρίου μαθηταὶ λέγουσιν· οὐ γὰρ τὰ ἐκ τῶν βιβλίων τοσοῦτόν με ὠφελεῖν ὑπελάμβανον, ὅσον τὰ παρὰ ζώσης φωνῆς καὶ μενούσης.* Hoc praecipue consilio Papias quinque

libros conscripsit, inscriptos *λογίων κυριακῶν ἐξηγήσεως συγγράμματα πέντε*. Ejusdem ingenii scriptor Hegesippus fuit, et ipse, ut Eusebius ait III. 8., *πέντε συγγράμμασι τὴν ἀπλανῆ παράδοσιν τοῦ ἀποστολικοῦ κηρύγματος ἁπλουστάτῃ συντάξει γραφῆς ὑπομνηματισάμενος*. Qua in scribendis his libris usus sit ratione, egregie docet Eusebii locus H. E. IV. 22., in quo narrasse legimus Hegesippum in commentariis suis, *ὡς πλείστοις ἐπισκόποις συμμίξειεν ἀποδημίαν στειλάμενος μέχρι Ῥώμης, καὶ ὡς ὅτι τὴν αὐτὴν παρὰ πάντων παρείληφε διδασκαλίαν*. Eundem memorata Clementis Romani ad Corinthios epistola haec amplius de se prodidisse refert Eusebius (l. c.) ipsis illius verbis: *ἐπέμενεν ἡ ἐκκλησία ἡ Κορινθίων ἐν τῷ ὀρθῷ λόγῳ μέχρι Πρίμου ἐπισκοπεύοντος ἐν Κορίνθῳ, οἷς συνέμιξα πλέων εἰς Ῥώμην, καὶ συνέτρεψα τοῖς Κορινθίοις ἡμέρας ἱκανὰς, ἐν αἷς συνεπάνημεν τῷ ὀρθῷ λόγῳ. Γενόμενος δὲ ἐν Ῥώμῃ διαδοχὴν ἐποιησάμην μέχρι Ἀνικήτου, οὗ διάκονος ἦν Ἐλεύθερος, καὶ παρὰ Ἀνικήτου διαδέχεται Σωτὴρ, μεθ᾽ ὃν Ἐλεύθερος. Ἐν ἑκάστῃ διαδοχῇ καὶ ἐν ἑκάστῃ πόλει οὕτως ἔχει, ὡς ὁ νόμος κηρύττει, καὶ οἱ προφῆται καὶ ὁ κύριος*. Ita terras urbesque peragrare, singula quæque loca invisere, in quibus memorabile aliquid acciderat, percunctari ubique, quæ tradita per manus essent, auditaque eo, quo ab aliis accepta erant, ordine referre, veterum plane in more fuit logographorum, quorum narrationes hac de causa *τοπικὰς*

ἀναγραφαῖς recte dixit Dionysius Halicarnassensis (Tom. VI. p. 823. ed. Reisk.). Eadem prorsus mente Hegesippus ex orientalibus terris in occidentales profectus est, easque inprimis adiit urbes, quarum ecclesiæ, ducta ab apostolis origine, celeberrimæ erant. Quale autem hoc cognoscendarum rerum studium fuerit, quam angustos intra fines inclusum, quam alienum ab iis omnibus, quæ veram efficiunt historici laudem, non est, quod ostendamus. Commune hoc fuit logographis virisque illis ecclesiasticis. Utrique enim, singularum quarundam rerum angustia detenti, rectiorem ampelioremque animo nondum conceperant historiæ notionem, et ut fere fieri solet ab iis, quibus id unice cordi est, tradita singulis locis colligere, collectaque referre, ut, qualiacunque ab aliis acceperint, saniori judicio non subjiciant, veraque a fictis secernere, haud magnopere curent, ita hoc illis inprimis scriptoribus, qui Eusebium præiverant, accidisse videmus. Quam multa narraverit Hegesippus historiæ fide parum digna, fabulisque simillima, ex iis æstimes, quæ Eusebius H. E. II, 23. de morte Jacobi, fratris Domini, qui Justi cognomen habuit, primusque ecclesiæ Hierosolymitanæ episcopus fuit, ex quinto commentariorum libro retulit. Ejusdem generis miracula Papias narravit aliaque adeo incredibilia, ut Eusebium ipsum viri hujus mediocri admodum ingenio præditi credulitas

offenderet *). Παράδοξά τινα ἱστορεῖ, Eusebius ait H. E. III, 39., his ipsis satis aperte eum carpens verbis, καὶ ἄλλα, ὡς ἂν ἐκ παραδόσεως εἰς αὐτὸν ἐλθόντα — καὶ ἄλλα δὲ etc. Sed in scriptoribus illis ecclesiasticis alia insuper accedebant, quæ eo magis impediebant, quo minus veriorem historias scribendi viam ingrederentur. Ambo enim, Papias et Hegesippus, ex Judæis Christiani facti fuisse videntur **). Hinc, ut Eusebius H. E. IV, 22. Hegesippum pleraque ἐξ Ἰουδαϊκῆς ἀγράφου παραδόσεως retulisse dicit, ea unice sectabantur, quae ad Judaismum, cui toto addicti erant animo, pertinerent. Ita non modo angustioribus, quam fas erat, coarctabatur historia finibus, sed eadem hæc res in Hegesippo potissimum eo etiam valuisse videtur, ut partium studia, qualia tum temporis in ecclesia christiana gliscebant, cum alteri ex Judæis, alteri ex Græcis ad sacra christiana transiissent, alteri Petri apostoli, alteri Pauli auctoritatem potiorem haberent, scribendæ historiæ immiscerentur. Hoc maxime consilio exteras ecclesias obiisse mihi videtur Hegesippus,

*) Similiter angustum Hecataei animum carpere videtur Herodotus II, 143.

**) Hegesippus ab Eusebio H. E. IV, 22. dicitur ἐμφαίνων ἐξ Ἑβραίων ἑαυτὸν πεπιστευκέναι.

anxia ubique curiositate quaesiturus, an servarent ἀπλανῆ παράδοσιν τοῦ ἀποστολικοῦ κηρύγματος, et singulæ quæque τῷ ὀρθῷ λόγῳ adhærerent. Pro sana autem rectaque doctrina homo hic Hebræorum plane præ se ferens indolem, eam modo habere potuit, quæ Judaismo quam proxima esset. Eandem ob causam iis præcipue animum advertisse videtur, quæ ad primas hæereseum origines spectabant, cum nihil magis ei curæ esset, quam ecclesiæ nulla opinionum diversitate violata virginea quasi castitas, sive ecclesiæ, qualem Judaismi illius dogmata postulabant, unitas. Eus. H. E. III, 33. IV, 22. Hoc certe manifestum est, Hegesippum, quo erat Judaismi studio, non ea, quæ historicum decet, animi integritate et sinceritate ad scribendam historiam accessisse. Quæ autem quum ita se haberent, quum tam pauci ante Eusebium in hoc scribendi genere versarentur, iidemque paucissimi eam, quam diximus, viam ingrederentur, ea profecto, quæ Eusebius ipse, de suscipiendi operis ratione præfatus est, mira nobis videri non possunt: Πρῶτοι νῦν τῆς ὑποθέσεως ἐπιβάντες οἷά τινα ἐρήμην καὶ ἀτριβῆ ἰέναι ὁδὸν ἐγχειροῦμεν· θεὸν μὲν ὁδηγὸν καὶ τὴν τοῦ κυρίου συνεργὸν σχήσειν εὐχόμενοι δύναμιν, ἀνθρώπων γε μὴν οὐδαμῶς εὑρεῖν οἷοί τε ὄντες ἴχνη γυμνὰ, τὴν αὐτὴν ἡμῖν προωδευκότων ὁδὸν, μὴ ὅτι σμικρὰς αὐτὸ μόνον προφάσεις, δι' ὧν ἄλλος ἄλλως ὧν διηνύκασι χρόνων μερικὰς ἡμῖν καταλελοίπασι διηγήσεις. Primus igitur Eusebius ipse hanc quasi intactam

viam ingressus sibi esse videtur, quia alii omnes, qui ante ipsum scripserunt, et singulas modo aliquas partes tractabant, hoc ipso testabantur, ipsam adhuc peragendæ rei notionem sibi deesse. Quanto autem ampliorem venioremque scribendæ historiæ ecclesiasticæ cogitationem ipse animo conceperit, procemio operis prodidit ab ipsa hac re exordium sumens: *Τὰς τῶν ἱερῶν Ἀποστόλων διαδοχὰς, σὺν καὶ τοῖς ἀπὸ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν καὶ εἰς ἡμᾶς διηνυσμένοις χρόνοις, ὅσα τε καὶ πηλίκα πραγματευθῆναι κατὰ τὴν ἐκκλησιαστικὴν ἱστορίαν λέγεται, καὶ ὅσοι ταύτης διαπρεπῶς ἐν ταῖς μάλιστα ἐπισημοτάταις παροικίαις ἡγήσαντό τε καὶ προέστησαν, ὅσα τε κατὰ γενεὰν ἑκάστην ἀγράφως ἢ καὶ διὰ συγγραμμάτων τὸν θεῖον ἐπρέσβευσαν λόγον, τίνες τε καὶ ὅσοι καὶ ὁπηνίκα νεωτεροποιίας ἱμέρῳ πλάνης εἰς ἔσχατον ἐλάσαντες ψευδωνύμου γνώσεως εἰσηγητὰς ἑαυτοὺς ἀνακεκηρύχασιν, ἀφειδῶς οἷα λύκοι βαρεῖς τὴν τοῦ Χριστοῦ ποιμνὴν ἐπεντρίβοντες, προσέτι τούτοις καὶ τὰ παραυτίκα τῆς κατὰ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἕνεκεν ἐπιβουλῆς τὸ πᾶν Ἰουδαίων ἔθνος περιελθόντα, ὅσα τε αὖ καὶ ὁποῖα καθ' οὕς τε χρόνους πρὸς τῶν ἐθνῶν ὁ θεῖος πεπολέμηται λόγος, καὶ πηλίκοι κατὰ καιροὺς τοὺς δι' αἵματος καὶ βασάνων ὑπὲρ αὐτοῦ διεξῆλθον ἀγῶνας, καὶ τὰ ἐπὶ τούτοις τὰ καθ' ἡμᾶς αὐτοὺς μαρτύρια, καὶ τὴν ἐπὶ πᾶσιν ἵλεω καὶ εὐμενῆ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἀντίληψιν γραφῇ παραδοῦναι προῃρημένος, οὐκ ἄλλοθεν ἢ ἀπὸ πρώτης ἄρξομαι τῆς κατὰ τὸν σωτῆρα καὶ κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν τὸν Χριστὸν τοῦ θεοῦ*

οἰκονομίας. Haec eo exposita esse consilio manifestum est, ut quid inter opus tot tantasque res complexurum, et *μερικὰς* illas *διηγήσεις* interesset, eo rectius intelligeremus, sed id etiam dubium esse non potest, in hoc quoque scriptore scribendi consilium nulla alia ex causa repetendum esse, quam ex ipsa scribendarum rerum magnitudine et gravitate, quæ totum ejus occupaverat animum, unde ipse necessitate quadam ad suscipiendum hoc opus adactum se esse profitetur. *Ἀναγκαιότατά μοι ποιεῖσθαι τὴν ὑπόθεσιν ἡγοῦμαι*, ait Eusebius l. c., *ὅτι μηδένα πω εἰς δεῦρο τῶν ἐκκλησιαστικῶν συγγραφέων διέγνων περὶ τοῦτο τῆς γραφῆς σπουδὴν πεποιημένον τὸ μέρος. Ἐλπίζω δ' ὅτι καὶ ὠφελιμωτάτη τοῖς φιλοτίμως περὶ τὸ χρηστομαθὲς τῆς ἱστορίας ἔχουσιν ἀναφανήσεται* Hoc idem est illud, quod Herodotum ad scribendas historias permovit. Scilicet, ne tot tantarumque rerum, quæ gestæ jam erant, memoria evanesceret, hoc uterque sibi munere fungendum esse existimavit, primusque ad hanc rem peragendam uterque sibi videbatur accedere, cum priora omnia comparata cum ipsa rei, qualem animo conceperant, cogitatione nulla fere essent. Ut autem hanc sibi informaret suscipiendi operis notionem Eusebius, quis quæso negare velit gravissimi hac in re momenti fuisse externarum rerum statum, qualem eo, quo scripsit, tempore fuisse constat, ut opportunum maxime tantæ rei, ita simillimum illi, qui He-

rodoti ætate fuit rerum statui? Quemadmodum olim Græci post debellatos Persas, vindicatamque libertatem rem gesserant æterna hominum memoria dignissimam, ita christiana quoque ecclesia ea, qua Eusebius scribendi consilium cepit ætate, ex tot tantisque eluctata certaminibus egregia potita erat victoria. Gestæ rei magnitudo, ut olim, ita nunc omnium erigebat animos, claraque jam luce cernebatur, quo nexu singula quæque cohærerent, et ad quemnam tenderent finem. Nec deerat igitur scribentibus, unde exorsi uno quasi conspectu totam rerum narrandarum seriem complecterentur. Apparet inde, quo sensu Eusebius in procemio operis post alia omnia, in quorum enarratione omnem ponendam esse operam dixit, ultimo loco posuerit τὴν ἐπὶ πᾶσιν ἵλεω καὶ εὐμενῆ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἀντίληψιν, et quonam consilio terminum scribendæ historiae esse voluerit lætum felicemque rerum statum, quem Constantino imperatori christiana ecclesia debebat. Ita in maxima aliarum rerum diversitate in eo certe simillimi sibi sunt duo hi scriptores, Herodotus et Eusebius, quod eodem fere modo in utriusque animo omnis præteritorum temporum memoria consummata quasi et absoluta est. Inde alia quoque perinde similia, idem utriusque studium totum, qui ipsorum oculis patebat, orbem complectendi *), et quantum fieri posset, singula quæque

*) Hinc accurata episcoporum, qui a primis inde temporibus

colligendi et in unum conferendi, quæ posterorum memoria digna videri possent, adeo ut uterque non modo ampliore scribendæ historiæ cogitatione, sed multo majore etiam rerum, quarum notitiam habebant, copia alios omnes, qui ante ipsos res gestas scribere conati sunt, superaret. Herodotus ad comparandam rerum scribendarum cognitionem, longa ut constat, itinera fecit, Eusebius ut aevi illius ratio ferebat, eam ex libris potissimum hausit, quorum larga jam tum copia ei fuit. Uterque autem suis auxiliis eodem modo usus est, et opera eorum plenissimam rerum omnium, quæ illis temporibus memoratu dignæ erant, cognitionem exhibent. Quanta cura Eusebius veterum scriptorum monumenta servaverit, operis maximam partem ex veterum librorum fragmentis, ut ita dicam, conglutinati indoles docet, sed ipse etiam in prooemio operis hoc sibi curæ præcipue fuisse testatur: *ὅσα εἰς τὴν προκειμένην λυσιτελήσειν ὑπόθεσιν ἡγούμεθα τῶν αὐτοῖς ἐκείνοις σποράδην μνημονευθέντων ἀναλεξάμενοι, καὶ ὡς ἂν*

Romae, Alexandriae, Antiochiae et Hierosolymae successerunt, per totum opus (II, 24. III, 1. 4. 11. 14. 15. 21. 22. 34. 36. IV, 1. 4. 12. 22.) usque ad finem libri VII. facta ab Eusebio commemoratio, non eo solum consilio, ut temporum series notaretur, sed etiam ut intelligeretur, historiam hanc universam christianam ecclesiam complecti velle. Quatuor enim illae episcoporum sedes universae ecclesiae capita erant.

ἐκ λογικῶν λειμώνων τὰς ἐπιτηδείους αὐτῶν τῶν πάλαι συγγραφέων ἀπανθισάμενον φωνὰς, δι᾽ ὑφηγήσεως ἱστορικῆς πειρασόμεθα σωματοποιῆσαι. Factum est ita, ut post interitum omnium fere prioris ævi monumentorum scriptorum horum opera tanti aestimanda sint, quanti nulla fere alia scriptorum historicorum opera. Quam manca et tenuis nostra antiquissimorum temporum notitia esset, si Herodoto careremus, quantamque nunquam satis deplorandam jacturam fecissemus deperdito Eusebii libro, unico adolescentis ecclesiæ christianæ teste! Ita hac quoque in re sui tantum similia sunt scriptorum horum opera.

Cap. II.

De historica utriusque scriptoris fide.

De historica Eusebii auctoritate, de fontium, quibus usus est, natura et pretio, et de fide ejus inde aestimanda complures nostra quæsiverunt ætate *). Quam per-

*) Primus nostra aetate historiam Eusebii fidem singulari libello accuratiori submisit examini Janus Moellerus, De fide Eusebii in rebus Christianorum enarrandis Hafn. 1813. Extat hic libellus etiam in libro periodico a Staeudlino et Tzschirnero edito: Archiv für alte und neue Kirchengeschichte T. III. 1. p. 1—116. Praeter Mœllerum, qui rem suam ita egit, ut nunc quoque suo jure principem obtineat locum, nominandi

tractatam ab aliis quæstionem quamquam retractare in animo nobis non sit, non tamen prorsus in nostra hac causa negligenda a nobis est. Ne enim silentio eam transeamus, jam judiciis illis, de Herodoto et Eusebio perinde vulgatis, monemur. Vix alios invenias historicorum scriptorum in numero duumviros, de quorum historica

---

sunt J. T. L. Danzius, De Eusebio Caesariensi, historiae ecclesiasticae scriptore, ejusque fide historica recte aestimanda dissertatio historico-ecclesiastica. Jenae 1815. Pars prior. (Agitur in hac parte inprimis de rebus ad vitam Eusebii pertinentibus, et de fontibus, quibus usus est, de historica ejus fide parte posteriore agendum erat, ad hunc usque diem nondum edita). C. A. Kestnerus, De Eusebii auctoritate et fide diplomatica. Gott. 1826. Reuterdahlius, De fontibus historiae ecclesiasticae Eusebianae, Londini Gothorum 1826. Cfr. de hoc libello Heinichenium in editione hist. eccl Eus. Lips. 1827. T. I. Praef. p. VI. Novissime Rienstra Disp. hist. theol. de fontibus, ex quibus historiae ecclesiasticae opus hausit Eusebius Pamphili, et de ratione, qua iis usus est. Trajecti ad Rhenum 1833. pleraque ab aliis exposita collegit. De aliorum ante hos dictos scriptores, qui quaestionem hanc eo impensius tractandam sibi sumsisse videntur, quo diutius neglecta esset, circa Eusebium studiis cfr. Danzium l. l. p. 4. 11. — Ceterum, quod supra jam monendum erat, hoc inprimis loco monitum velim, quaestionem nostram in sola Eusebii historia ecclesiastica, neque simul in libris ejus de vita Constantini versari.

fide tam sinistra percrebuerit fama. Herodoto jam a veteribus quibusdam crimini datum est, adulteratam esse ab eo in opere ejus historico historiæ veritatem innumeris fabulis et mendaciis, *) suspectæque admodum fidei scriptor a plurimis ad nostram usque ætatem habebatur, donec amplissima, quæ nostris potissimum diebus undique comparata est, rerum inprimis geographicarum notitia eo majorem fidei ejus et integritati adderet laudem. Eandem judicii acerbitatem Eusebii etiam historica fides experta est, quamquam nullo non tempore summis laudibus ecclesiastica ejus historia celebraretur. Unum sufficiat hic nominare magni nominis virum, Josephum Scaligerum, cui nullus ecclesiasticorum veterum plura errata in scriptis suis reliquisse videbatur, nullius plures hodie extare halucinationes **). Quæ quo spectent judicia,

*) Harpocratio quidam singularem librum scripsit περὶ τοῦ κατεψεῦσθαι Ἡροδότου τὴν ἱστορίαν. Cfr. Creuz. l. l. p. 111.

**) Elench. Trihaer. c. 27. Cfr. Veterum testimonia pro Eusebio ab H. Valesio collecta, H. E. ed. Heinich. p. XCIII. Mœllerum l. l. in Staeudlini et Tzsch. Arch. T. III. p. 60. Danzium l. l. p. 8. Moshemius etiam de Eusebio judicavit: „Non is erat vir bonus, qui aliorum dicta ponderabat. Consarcinabat, quae poterat, judicio aliis relicto. Testes sunt futilissimae, quas habet, narrationes." Diss. ad H. E. pertin. Ep. ad Heum. Vol. I. p. 827. Acerba de Eusebio judicia haud raro

in promtu est. Quam multa inveniantur in utriusque auctoris scriptis mirabilia, portentosa, incredibilia auditu, quæ cuique sanioris judicii lectori non possunt non a veri specie rerumque gestarum fide prorsus aliena videri, nemo non novit. Quæ scriptorum indoles ut eadem fere est, ita ad eandem etiam in utroque referenda est cau-

---

inprimis a catholicae ecclesiae scriptoribus lata sunt. Nominasse sufficiat ex antiquioribus Cardinalem Caesarem Baronium, in Annalium ecclesiasticorum pluribus locis perstringentem Eusebii fidem (cf. Danz. l. l. p. 8.), ex recentioribus collegam nostrum S. V. Moehlerum in libro: Athanasius der Grosse und die Kirche seiner Zeit im Kampfe mit dem Arianismus T. II. p. 35. ita judicantem: „Auf die Berichte des Eusebius in den Angelegenheiten der Kirche den Arianern gegenüber ist überhaupt gar kein Gewicht zu legen. Welch' einen elenden Bericht von der Synode in Nicaea gibt er nicht in seiner Vita Constantini!" Notus Eusebii Arianismus (de quo conferendus Mœllerus l. l. p. 45 sq.) ita de eo judicandi causam praebuit speciosam, at haud scio, an assentiam Danzio monenti l. l. p. 10.: „Pontificios multos in labefactanda ejus fide nulla alia de causa elaborasse, quam quia in ipso non invenirent, quae defendendis opinionibus suis et causis inservire poterant." Quam diversas utique in partes hac quoque in re abeant Catholici et Protestantes, inde aestimes, quod Neander, vir summus, eandem illam Eusebii de synodo Nicaena narrationem, posthabita etiam ipsius Athanasii auctoritate, fide dignissimam dicere nullus dubitaverit. Gesch. der chr. Rel. u. Kirche. P. II. p. 792. sq.

sam. Uterque enim scriptor ea vixit ætate, qua narrationibus, ore, non scriptis, alteri ab altero traditis, plurimum tribuebatur, adeo ut quicunque res ad suam usque aetatem gestas posteris scribendo traditurus, ne officio suo deesset, hoc etiam præsertim fonte utendum sibi esse existimaret *). Narrationum autem, quæ hoc modo per manus traduntur, ubique ea est natura, ut a parvis pleraque profecta initiis magis magisque augeantur, aliis atque aliis, quæ identidem narrando adduntur, exornentur, mirumque in modum gestæ rei fidem excedant. Hoc Eusebii æque ac Herodoti aetate accidisse constat. Quanquam enim Eusebii ætas ab Herodotea multorum seculorum intervallo distet, et diversa prorsus temporum ratio sit, quippe quum Eusebii ætas literarum incrementis, doctrina, eruditione, rerum omnium, quibus ad scribendum opus est, apparatu et copia exigua illa, quæ Herodoti adhuc ætate fuerunt, graecarum literarum incunabula longe superaverit; id maxime tenendum est, postquam christiana religio orbem terrarum ingressa est, novum coepisse rerum ordinem, in quo humana mens eadem le-

*) Unde Herodotus II, 123. ingenue profitetur: *τοῖσι μὲν — λεγομένοισι χράσθω, ὅτεῳ τὰ τοιαῦτα πιθανά ἐστι· ἐμοὶ δὲ παρὰ πάντα τὸν λόγον ὑπόκειται* (propositum est), *ὅτι τὰ λεγόμενα ὑπ' ἑκάστων ἀκοῇ γράφω.*

ge, qua antiquo tempore ex tenebris in lucem emersit, ex parvis initiis ad cultioris vitæ incrementa paulatim ita progressa est, ut eadem fere, quæ olim fuit, rediret rerum facies. Magnopere igitur erraremus, si ea, quæ in auctorum nostrorum scriptis nobis occurrunt, fabulis similiora quam historicæ veritati, vitio iis verteremus, eaque temere ab iis recepta arbitraremur. Referunt potius hac ipsa in re ætatis suœ indolem, quæ tota adhuc fuit in ejusmodi narrationibus, nonnisi ore primum traditis, et ab origine, unde enatæ sunt, suum ducentibus colorem, idemque, quod in mythicis illis græcæ antiquitatis fabulis solertiori cuique agendum esse constat, in iis etiam narrationibus, quæ ex christiana antiquitate ad nos pervenerunt, spectandum est, ut, quantum fieri potest, quid veri iis subsit, ab iis, quæ postea demum ad eas augendas et amplificandas accesserunt, secernere, et inquirere omnino studeamus, quibus ex causis tales, quales nunc esse videmus, factæ sint. Mirari igitur non possumus, ætatis, qua uterque auctor vixit, ratione habita, ejusmodi narrationes, in quibus vera falsis mixta sunt, receptas ab iis esse, sed in eo etiam ætatis suæ indolem referunt, quod eas ita receperunt, ut quam facili animo iis fidem habuerint, satis appareat. Cum enim miraculorum, quæ plurima ab iis narrantur, ea sit natura, ut divina humanis miscendo justum naturæ ordinem excedant; nihil iis

inesse videbatur, a quibus animus eorum abhorreret. Interesse Deos humanis rebus, neque gravioris momenti aliquid fieri sine Deorum interventu, intima fuit Herodoti, sancta prisci aevi pietate imbuti, persuasio. In ecclesiæ autem christianæ primordiis singulari singula quæque Dei providentia geri, et manifesta ubique divinæ originis, unde exorta est, signa cerni, quis dubium fuisse existimaverit Eusebio? In hac igitur de divinarum humanarumque necessitudine sentiendi ratione non ii erant hi scriptores, qui miraculis fidem denegarent, et anxie inquirerent, quid in singulis quibusque rebus vel solito naturæ ordine vel supra naturam accidisse putandum sit. Quo plura et insigniora tradebantur miracula, eo manifestius testari videbantur Eusebio singularem Dei in tuenda regendaque ecclesia curam. Cum autem historicus scriptor nunquam prorsus immemor esse possit injuncti sibi officii, tradita et audita ab aliis suo submittendi judicio, veraque a falsis secernendi, hac quoque in re ita utrumque versatum esse videmus, ut quanta inter eos sit similitudo, inde etiam appareat. Auditas ab aliis fabulas non temere quidem recipiunt, sed non ita de iis judicant, ut, quid veri falsique iis insit, penitus perspexerint. Quid postulet his in rebus historiæ fides, eos non ignorasse, ex eo jam cernitur, quod ipsi sæpius monent, se nonnisi fama ab aliis audita referre. Quod ut ab Herodoto multis in locis

factum videmus *), ita Eusebius, qua fuit omnino in fontibus, ex quibus singula quæque hausit, nominandis, diligentia **), eas inprimis narrationes, quas veteri famæ acceptas tulit, disertis quibusdam formulis indicavit ***), quibus in narrandis etiam miraculis ita nonnunquam usus est, ut integrum de iis relinqueret judicium. Insigne hujuscemodi exemplum locus exhibet H. E. VI, 9., ubi Narcissi, Hierosolymorum episcopi, miracula narraturus monuit: *πολλὰ μὲν οὖν καὶ ἄλλα παράδοξα οἱ τῆς παροικίας πολῖται, ὡς ἐκ παραδόσεως τῆς κατὰ διαδοχὴν ἀδελφῶν τοῦ Ναρκίσσου μνημονεύουσιν, ἐν οἷς καὶ τοιόνδε τι θαῦμα δι' αὐτοῦ γεγονὸς ἱστοροῦσι.* †) Aliis in locis narratarum rerum, quamvis minus probabilium, monumenta superesse affirmant,

*) Cfr. Creuz. l. l. p. 103.

**) Cfr. Mœllerum l. l. p. 86.

***) Quales sunt formulae *λόγος ἔχει* H. E. II, 17. *ὡς ἡ παράδοσις περιέχει* III, 1.

†) Alio in loco liberius etiam de ejusmodi narratione legimus judicium H. E. V, 16. ubi narrata portentosa Montani, Maximillae, et Theodoti cujusdam morte haec adjecta sunt verba: *φασὶ γοῦν οὕτως γεγονέναι· ἀλλὰ μὴ ἄνευ τοῦ ἰδεῖν ἡμᾶς ἐπίστασθαί τι τῶν τοιούτων νομίζομεν, ὦ μακάριε. Ἴσως μὲν γὰρ οὕτως, ἴσως δὲ οὐχ οὕτως τετελευτήκασι Μόντανός τε καὶ Θεότοκος καὶ ἡ προειρημένη γυνή.* At non Eusebii sunt haec verba (comparanda cum Herodoti loco II, 123.), sed scriptoris, quem ibi transscripsit, Apollinarii Hierapolitani.

gestæ rei veritatem testantia. Ita Herodotus, ut hoc utar exemplo I, 24. Eusebius I, 13. II, 13. VII, 18. At his maxime in locis in Eusebio etiam accuratius desideratur judicium. Ut taceamus, statua illa Romana Simonis magi Petrique Apostoli iter Romanum certius fieri, Justino auctore perperam credidisse Eusebium II, 13., quam vana fide, quae inter Jesum et Abgarum, Edessenorum regem, acta dicebantur literis, in urbe Edessa asservatis et ab ipso, ut ait, e syriaca lingua in graecam translatis firmari putaverit, quam temere duas illas Caesareae Philippi sitas statuas, alteram mulieris *αἱμοῤῥοούσης* (Matth. 9, 20.), alteram Jesu mulierem sanantis *), fuisse prodiderit, nemini dubium esse potest. At omnem rem absolvi putavit adjectis altero loco verbis: *καὶ ταῦτα εἰσέτι καὶ νῦν ἐξ ἐκείνου πεφυλαγμένα εὕρηται* (I, 13.), altero: *τοῦτον δὲ τὸν ἀνδριάντα εἰκόνα τοῦ Ἰησοῦ φέρειν ἔλεγον· ἔμεινε δὲ καὶ εἰς ἡμᾶς, ὡς καὶ ὄψει παραλαβεῖν ἐπιδημήσαντας αὐτοὺς τῇ πόλει* (VII, 18.), haud secus ac Herodoto narratae de Arione fabulae testimonium fide satis dignum esse videbatur *ἀνάθημα χάλκεον, οὐ μέγα ἐπὶ Ταινάρῳ ἐπὶ δελφῖνος ἐπεὼν*

*) Statua haec, quam incolae urbis a muliere sanata Jesu erectam fuisse fabulabantur, Hadriano imperatori posita et nomine *σωτῆρι* vel *θεῷ* inscripta existimatur. Cfr. Heinichen Excurs. X. ad Euseb. H. E. VII. 18. T. III. p. 396.

ἄνθρωπος (I, 24.). Peccatum utrinque in eo est, quod monumenta ista qualiacunque cum narrationibus, quae iis annexae erant, ita uno eodemque loco habebant, ut certissimam iis inde conciliari fidem existimarent. *) In aliis insuper narrationibus, in quibus tradita ab aliis, sed ut nobis quidem videtur, minus probabilia referuntur, rectius judicium propterea desideratur, quod animo a partium studio nequaquam alieno scripserunt. Herodotum, quamquam saepius, quod maxime laudandum, ab aliis aliter narrata comparet, comparandoque, quid verum sit, inquirat (veluti I, 214.), plurima tamen de Persis inprimis, et, quod vulgatissimum, de facta a Xerxe in Graeciam expeditione retulisse constat, quae nonnisi graeco illius aevi scriptori probari poterant. Eusebium autem, flagrante adhuc hostili Romanorum in Christianos odio, totum a partibus Christianorum stetisse, quis, quaeso, immemor esse possit! Inde alia atque alia, ut mira satis auditu, ita non sine ira et studio tradita, veluti, quae de morte Galerii VIII, 16., Maximini IX, 10., de publicis calamitatibus IX, 8. aliisque, quae ejusdem generis sunt, legimus. Inprimis autem celeberrimus de legione fulminatrice locus V, 5. huc quoque pertinet.

*) Cfr. Creuz. l. l. p. 104. Dicta de Herodoto de Eusebio etiam dicta intelligi possunt.

Quodsi Eusebius cum narratione hac, qualis inter Christianos tradebatur, ab ethnicis scriptoribus memorata comparasset, delapsum subito cum fulminibus imbrem ad christianorum militum preces unice referre vix potuisset. Comparatis enim iis, quae ab utriusque partis scriptoribus relata sunt, rem vere quidem accidisse, in miraculum autem ea maxime ex causa abiisse videmus, quod utraque pars gestam divinitus rem sibi unice vindicabat. Pariter quae de Jacobi morte ab Hegesippo tradita sunt, mirabiliora quam veriora, simplici et omni fide dignae Josephi narrationi ab eo tantum auctore praeferri poterant (II, 23.), qui partium studio captus facillimam miraculis fidem largitus est. Nec desunt tamen alia, in quibus iidem scriptores causis, quales hactenus memoravimus, in cognoscendo vero minus impediti, liberiore animo fabulas quamvis mirabiles rejicere nulli dubitarunt. Ita Herodotum, quamquam aliâs, in rebus praesertim divinis, nihil fere fidem ejus superet, II, 57., quo loco narratum de Dodonaei oraculi, a columba aegyptiaca conditi, origine miraculum ad causas naturales revocare ausus est, subito exclamantem audimus: ἐπεὶ τέῳ τρόπῳ ἂν πέλειάς γε ἀνθρωπηΐῃ φωνῇ φθέγξαιτο; Idem scriptor I, 182 iis fidem habere recusat, quae Chaldaei, Babyloniorum sacerdotes, de Deo noctu templum invisente et in lecto recumbente perhibebant. Apud Eusebium unus certe est

locus eandem ob causam memoratu dignus, III. 39., ubi de Papia Hierapolitano loquitur. Memorat ibi miracula quaedam a Papia enarrata. Παράδοξά τινα ἱστορεῖ καὶ ἄλλα, ὡς ἂν ἐκ παραδόσεως εἰς αὐτὸν ἐλθόντα. — Νεκροῦ γὰρ ἀνάστασιν κατ' αὐτὸν γεγονυῖαν ἱστορεῖ· καὶ αὖ πάλιν ἕτερον παράδοξον περὶ Ἰοῦστον τὸν ἐπικληθέντα Βαρσαβᾶν γεγονός, ὡς δηλητήριον φάρμακον ἐμπιόντος, καὶ μηδὲν ἀηδὲς διὰ τὴν τοῦ κυρίου χάριν ὑπομείναντος. Quomodo de his judicaverit, ex sequentibus apparet: καὶ ἄλλα δὲ ὁ αὐτὸς συγγραφεὺς ὡς ἐκ παραδόσεως ἀγράφου εἰς αὐτὸν ἥκοντα παρατέθειται, ξένας τε τινὰς παραβολὰς τοῦ σωτῆρος καὶ διδασκαλίας αὐτοῦ, καί τινα ἄλλα μυθικώτερα. Quamquam ex eodem hoc loco videamus, chiliasticas opiniones, quibus Papias toto animo deditus fuit, sinistri de eo ab Eusebio lati judicii praecipuam causam fuisse, hoc ipso tamen exemplo comprobatur, non eum fuisse Eusebium, qui fabulas qualescunque, etiamsi vetustatis speciem prae se ferrent (τὴν ἀρχαιότητα τἀνδρὸς multis ecclesiasticis viris eo faciliorem errandi causam praebuisse eodem illo loco ipse monuit), historica fide amplecteretur. Eodem igitur loco hac quoque in re uterque scriptor habendus est. Tradita ab aliis, quamvis mirabilia, facillime quidem admiserunt, sed suo tamen nonnunquam judicio ita usi sunt, ut miraculis fidem derogarent, quaeque incertis auctori-

bus, currente per ora hominum fama, tradita sunt, plena historiae fide haud satis digna haberent.

Cap. III.

De universa, quae nobis exhibetur, rerum ab utroque auctore narratarum imagine.

Jam supra monuimus, rerum externarum, in quibus sua uterque scriptor versabatur aetate, maximam fuisse similitudinem. Gesta res erat maximi momenti, quae ut ipsa ad scribendum incitabat, ita etiam conscribendo operi suam dedit indolem, suumque colorem. Posita est enim ob oculos in utriusque scriptoris opere magni certaminis imago, per cujus vicissitudines totum opus ita decurrit, ut ad unum eundemque finem singula quaeque tendant. Hinc gentis et reipublicae parvae admodum, illinc ecclesiae libertas ab hostium impetu vindicanda erat, tanta mole ingruentium, ut nullis humanis viribus resisti posse videretur ab exiguo hominum numero, quorum spes omnis non in multitudine pugnantium, rerumque externarum copia et apparatu, sed in erecto animo sita erat, quo sibi causaeque suae et divino numini confidebant. Ut igitur Herodotus gesta inter Persas Graecosque bella, et egregiam, quam Graecorum libertas inde retulit victoriam libris suis enarravit, ita in Eu-

sebii opere tum luctantem cum Romanorum imperio; tum ipso hoc certamine in libertatem vindicatam et laectissimo rerum omnium statu potitam cernimus christianam ecclesiam. Ad hunc usque finem, felicissimam rerum mutationem, quam ecclesia christiana Constantino imperatori devictis omnibus ejus adversariis debebat, perducere voluit ab initio inchoatum opus, eademque ex causa ulterius etiam in hoc quidem opere progredi noluit, ut suis unice ipsa rei natura positis universum opus inclusum esset finibus. Ad eundem hunc finem ipse adeo librorum numerus spectat, quibus opus suum absolvi voluit Eusebius. Εἰκότως, ipse ait in procemio decimi libri, *ἐν ἀριθμῷ τελείῳ* *) *τὸν τέλειον καὶ πανηγυρικὸν τῆς τῶν ἐκκλησιῶν ἀνανεώσεως λόγον κατατάξομεν, θείῳ πνεύματι πειθαρχοῦντες, ὧδέ πως ἐγκελευομένῳ· „Ἄσατε τῷ κυρίῳ ᾆσμα καινὸν, ὅτι θαύματα ἐποίησεν. Ἔσωσεν αὐτὸν ἡ δεξιὰ αὐτοῦ, καὶ ὁ βραχίων ὁ ἅγιος αὐτοῦ· ἐγνώρισε κύριος τὸ σωτήριον αὐτοῦ, ἐναντίον τῶν ἐθνῶν ἀπεκάλυψε τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ“* (Ps. XCVIII.). *Καὶ δὴ τῷ λογίῳ προστάττοντι τὸ καινὸν*

---

*) De antiqua *τῆς δεκάδος* sanctitate conferas commentationem meam de sabbatho Hebraeorum (Tüb. Zeitschr. für Theol. 1832. III. S. 167.) locosque ibi ex Philone et Clemente Alex. allatos. Ut igitur Herodotus novem historiarum suarum libros novem Musis sacros esse voluit, ita Eusebius operis sui decem libros numero definivit, et ipso ex antiqui aevi theologia petito.

ᾆσμα, διὰ τοῦδε νῦν ἀκολούθως ἐπιφωνῶμεν, ὅτι δὴ μετὰ τὰς δεινὰς καὶ σκοτεινὰς ἐκείνας ὄψεις τε καὶ διηγήσεις τοιαῦτα νῦν ὁρᾷν καὶ τοιαῦτα πανηγυρίζειν ἠξιώθημεν, οἷα τῶν πρὸ ἡμῶν πολλοὶ τῷ ὄντι δίκαιοι καὶ θεοῦ μάρτυρες ἐπεθύμησαν ἐπὶ γῆς ἰδεῖν, καὶ οὐκ εἶδον, καὶ ἀκοῦσαι, καὶ οὐκ ἤκουσαν. Accessit igitur novem reliquis decimus liber, triumphali quasi carmine vel panegyrica oratione ea omnia celebraturus, quae ad stabiliendam et absolvendam partam jam victoriam pertinebant. Quantum autem momentum ipse auctor posteriori huic operis parti, non decimum tantum librum sed octavum etiam nonumque complectenti, tribuerit, ipse declaravit libri octavi initio in ultimum illud tempus, in quo Diocletiano imperante ardentissimis utrinque studiis de summa rei certabatur, transitum faciens his verbis: ἐν ὀγδόῳ τούτῳ συγγράμματι τὰ καθ' ἡμᾶς αὐτοὺς οὐ τῆς τυχούσης ἄξια ὄντα γραφῆς ἕν τι τῶν ἀναγκαιοτάτων ἡγούμεθα δεῖν εἰς γνῶσιν καὶ τῶν μεθ' ἡμᾶς παραδοῦναι. Continua est igitur in utriusque auctoris opere rerum gestarum series, ad unum eundemque finem summa virium contentione dignissimum perducenda, narratio certaminis multo demum labore multoque sanguine profuso absolvendi. Quam Eusebiani operis naturam si animo perpendimus, mirari non possumus, auctorem in enarrandis potissimum martyrum fatis et virtutibus, in ponendis ob oculos nostros tormentis, quibus cruciabantur, exquisi-

tissimis, speciminibus constantiae, pietatis, erectique animi, quae ediderunt, pulcherrimis, vitae denique fine, quem invenerunt, gloriosissimo, tantum posuisse operae. Martyres quippe ii sunt, qui totam certaminis, cuius viva imago exhibenda nobis est, molem sustinent, quae illi gesserunt passique sunt, ἱεροὶ ἀγῶνες (VIII, 2) sunt, aeterna hominum memoria digni, (ἀλήστου μνήμης ὡς ἀληθῶς ἐπάξια ὄντα V. procem.), et veluti Herodotus, quae singuli aliis atque aliis locis bene et fortiter gesserunt, summis laudibus extulit, ita quae a martyribus gesta narrantur, singulorum quasi ἀριστεῖαι sunt, quae animos legentium inprimis advertunt. Haud exiguam operis partem, quae in martyribus celebrandis versatur, hoc maxime modo aestimandam esse, ipse nos docet auctor noster in procemio libri quinti, quo loco prae aliis notando suam historiam cum aliorum scriptorum historiis ipse ita comparat, ut Herodoti praesertim opus narrataeque in eo res gestae in memoriam nobis vocentur. Ἄλλοι μὲν οὖν, Eusebius ait l. l., ἱστορικὰς ποιούμενοι διηγήσεις, πάντως ἂν παρέδωκαν τῇ γραφῇ πολέμων νίκας, καὶ τρόπαια καθ' ἐχθρῶν, στρατηγῶν τε ἀριστείας καὶ ὁπλιτῶν ἀνδραγαθίας, αἵματι καὶ μυρίοις φόνοις, παίδων δὲ πατρίδος καὶ τῆς ἄλλης ἕνεκεν περιουσίας μιανθέντων. Ὁ δέ γε τοῦ κατὰ θεὸν πολιτεύματος διηγηματικὸς ἡμῖν λόγος, τοὺς ὑπὲρ αὐτῆς τῆς κατὰ ψυχὴν εἰρήνης εἰρηνικωτάτους πολέμους καὶ τοὺς ἐν τούτοις ὑπὲρ

ἀληθείας μᾶλλον ἢ πατρίδος, καὶ μᾶλλον ὑπὲρ εὐσεβείας ἢ τῶν φιλτάτων ἀνδρισαμένους, αἰωνίαις ἀναγράψεται στήλαις, τῶν εὐσεβείας ἀθλητῶν τὰς ἐνστάσεις, καὶ τὰς πολυτλήτους ἀνδρίας, τρόπαιά τε τὰ κατὰ δαιμόνων, καὶ νίκας τὰς κατὰ τῶν ἀοράτων ἀντιπάλων, καὶ τοὺς ἐπὶ πᾶσι τούτοις στεφάνους, εἰς αἰώνιον μνήμην ἀνακηρύττων. Cum autem, ut diximus, altero in opere reipublicae, in altero ecclesiae libertatem salutemque in extremum vocatam cernamus discrimen, imaginem rerum ab utroque auctore exhibitarum eo similiorem esse apparebit, si periculis etiam et adversariis, quibus obviam eundum erat, animum propius advertimus. Non enim externi solum hostes armis et aperta vi internecinum movebant bellum, sed internis etiam adversariis occurrendum erat, a quibus publicae saluti maxima imminebant pericula. Norunt Herodotei operis lectores, multum in eo etiam de tyrannis esse sermonem, qui rerum opportunitate usi Graecorum in civitatibus summa rerum potiebantur, liberamque rempublicam unius imperio et arbitrio subjiciebant, qualis Pisistratus Atheniensis, Polycrates Samius, Periander Corinthius aliique aliis in locis erant, sed id quoque neminem, qui Herodoti Musis animum applicuit, latere potest, quid senserit amantissimus libertatis scriptor de his publicae salutis inimicis, qui quod aequum justumque erat, communia aliorum jura,

violarent, omnia ad se traherent, suisque unice indulgerent libidinibus. *) Itaque quum summa operis ejus vindicatae pulcherrimo cum successu libertatis imaginem exhibeat, eae etiam partes, in quibus cessantes nunquam Graecorum in civitatibus contra singulorum tyrannidem conatus enarrat, cum primario universi operis fine intimo nexu cohaerent. Jam vero, si ad eam rerum imaginem redimus, in qua evolvenda Eusebianum opus versatur, eundem locum apud Eusebium obtinere mihi videntur haeretici, neque est sane, quod comparationem hanc mireris, si vel unum hoc reputes, utrumque hominum genus eodem prorsus nomine a veteribus et ecclesiasticis scriptoribus notari. Ut Herodotus monarchiae sive tyrannis, qui suo arbitrio dominantur, proprium maxime esse ait, *τὰ νόμαια κινεῖν πάτρια* III, 80., et ut omnino in liberis Graecorum civitatibus, qui tyrannidem affectabant legibusque sancitum rerum statum turbabant, *νεώτερόν τι ποιεῖν*, *νεωτερίζειν* dicebantur, (cfr. V, 35. 106. VI, 2. 75.) quia novarum rerum cupiditate traditum a patribus aequum jus omnium e medio tollebant, ita apud Eusebium haeretici *καινοτομεῖν* (i. e. nova dogmata temere proponere) IV, 27. VII, 30. 31. *ἰδίως περὶ τὴν ἀλήθειαν νεωτερίζειν* V, 15.

*) Cfr. L. V, 78.: *δηλοῖ οὐ κατ' ἓν μόνον, ἀλλὰ πανταχῇ ἡ ἰσηγορίη ὡς ἐστι χρῆμα σπουδαῖον.* L. III, 80.

νεωτεροποιΐας ἱμέρῳ πλάνης εἰς ἔσχατον ἐλάσαι I, 1. dicuntur. Quippe eadem utrique moliuntur: quae tradita a patribus et publicae omnium saluti in medio posita sunt, communia vitae bona, singuli sibi arrogant, suo arbitrio in ceteris dominantur, suamque licentiam ac libidinem potiorem habent iis, quae antiquis legibus et divino jure sancita sunt. Unde eodem odio, quo in liberis Graecorum civitatibus ii habebantur, qui, ut ipsi summa rerum potirentur, communem omnium libertatem violabant, ecclesiae christianae antistites eos insectabantur, qui novarum doctrinarum auctores extitere, singulisque, quorum duces erant, sectis pacem unitatemque ecclesiae turbabant (ἕκαστος ἰδίως καὶ ἑτέρως ἰδίαν δόξαν παρεισήγαγον — οἵτινες ἐμέρισαν τὴν ἕνωσιν τῆς ἐκκλησίας φθοριμαίοις λόγοις κατὰ τοῦ θεοῦ καὶ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ IV, 22.). Utrique perinde omnium humanorum divinorumque jurium contemtores esse videbantur, idem utrinque novarum rerum studium, eadem singulorum licentia et arrogantia, sibi unice indulgens (cfr. Eus. VII, 30.). In eo tantum inter Herodotum et Eusebium hac in re aliqua est diversitas, quod a christiano quidem scriptore, quaecunque in christianae ecclesiae perniciem aguntur, ad diabolum auctorem referuntur. Hic enim infestissimus salutis humanae adversarius nunquam non cessat pacem ecclesiae lacessere, et quascunque nocendi artes tentare. Ab eo omnes subor-

nantur haereses, ab eo omnes principes instigantur, ut letali odio in Christianos saeviant. Cfr. II, 13, 14. IV, 6. VI, 39. VIII, 4. Daemonis ejusmodi, malorum auctoris, apud Herodotum, cum Græcorum religio ab hoc dualismo aliena fuerit, nulla est mentio, nihilominus tamen et ipse reconditas malorum causas respicit, quibus humanæ societatis pax turbatur. Ultima enim eorum causa ὕβρις illa est, in intimo hominis pectore residens. Hæc verissima est humanæ societatis pestis, et, ut ita dicam, dæmon nequitiæ. Cfr. III, 80.: ἐγγίνεται — ὕβρις, — φθόνος δὲ ἀρχῆθεν ἐμφύεται ἀνθρώπῳ· δύο δὲ ἔχων ταῦτα, ἔχει πᾶσαν κακότητα. Possis hic etiam de notissimo illo Herodoti θείῳ φθονερῷ cogitare, quod et ipsum maligni instar numinis esse videtur. Cum autem id maxime agat, ut divinæ justitiæ leges exsequatur, cum diabolo Christianorum nonnisi ex ea parte comparari potest, qua spectatus hic non ipse per se mala molitur, sed divinæ voluntatis minister est, quod hujus loci non esse liquet. Cæterum, quæ modo dicta a nobis sunt, ad eam jam quæstionis nostræ partem spectant, quæ in sequentibus adhuc explicanda est.

Quæ hactenus exposuimus, ad externam maxime rerum, in quibus enarrandis uterque auctor versatur, imaginem pertinent. Sed id quoque tum Herodoto tum Eusebio proprium maxime et singulare est, ut non in solo rerum, quæ extra nos geruntur, eventu subsistant, sed

singula quæque ex altioribus causis repetant, humanaque divinis annectant. Mirum sane videri possit, quantopere consentiant hac in re duo hi scriptores, in tanta de rebus divinis sentiendi diversitate. Verum enim vero ea utriusque animo inerat persuasio, nihil temere et fortuito casu in rebus humanis accidere, sed divino numine cuncta ita gubernari, ut alia ex aliis apta sint, et in singulis quibusque una eademque æqui justique norma cernatur. Itaque, ut in Herodoti historiis inviolabili divinæ justitiæ lege cautum esse videmus, ne scelera impune committantur, humanaque superbia justos transgrediatur fines, ita in Eusebii etiam opere ad eandem legem omnia disposita apparent. Regit enim humanas res, ut Eusebius multis locis profitetur, *ἡ ἀδιάδραστος δίκη τοῦ πάντων ἐφόρου θεοῦ*, VI, 9., neque unquam *ὁ τῆς δίκης μέγας ὀφθαλμὸς ἐπὶ τοῖς πεπραγμένοις ἠρέμει*, verum *μετῄει ὡς τάχιστα τοὺς ἀσεβεῖς, αἷς καθ' ἑαυτῶν ἐπιορκοῦντες κατεδήσαντο ἀραῖς*. l. l. Quin *παρὰ πόδας μετελθούσης ἱερᾶς δίκης ἡ ἄϋπνος κατὰ τῶν ἀσεβῶν μισοπονηρία* *) sectatur eos, quorum *τῆς θεομισείας ἡ ἀλαζὼν καὶ ὑπερήφανος αὐθάδεια*

*) Similia apud veteres tragicos, quae doctissimo Eusebio obversata esse videntur, simillimus, qui ad manus nobis est, locus Soph. fragm. Ai. Locr. I, 2, 3. *τὸ χρύσεον δὲ τᾶς Δίκας δέδορκεν ὄμμα.*

ἐπ' ἄλλαις προσετίθεμεν κακίας· οἵ τε δοκοῦντες ἡμῶν ποιμένες τὸν τῆς θεοσεβείας θεσμὸν παρωσάμενοι ταῖς πρὸς ἀλλήλους ἀνεφλέγοντο φιλονεικίαις, αὐτὰ δὴ ταῦτα μόνα, τὰς ἔριδας καὶ τὰς ἀπειλὰς, τόν τε ζῆλον, καὶ τὸ πρὸς ἀλλήλους ἔχθος τε καὶ μῖσος ἐπαύξοντες, οἷα τε τυραννίδας τὰς φιλαρχίας ἐκθύμως διεκδικοῦντες· τότε δὴ τότε etc. Est igitur omnino divina hæc justitia sancta lex, qua justus quacunque in re servatur modus, strenueque cavetur, ne humana licentia divini juris immemor violet, quæ a nullo mortalium impune violantur. Φιλέει γὰρ, ut eandem hanc summam, qua humanæ res reguntur, legem et normam Herodoti verbis exprimamus, ὁ θεὸς τὰ ὑπερέχοντα πάντα κολούειν — οὐδὲ ἐᾷ φαντάζεσθαι· — οὐ γὰρ ἐᾷ φρονέειν ἄλλον μέγα ὁ θεὸς ἢ ἑωυτόν. VII, 10. Qua æterna lege quum cuncta mortalium gubernentur, non potuit non fieri, ut christiana res superior denique evaderet Romanorum imperio. Omnia quippe, quæ a vera pietate aliena sunt, et humanis tantummodo viribus subnituntur, invalida sunt et caduca, quamvis amplam virium molem ostentantia. Quæ autem ex vera pietate proficiscuntur, quamvis parva et exigua, stabilia sunt et æterna, unde Eusebius, ut in ipso operis introitu significaret, quem eventum habiturum esset certamen christianæ rei cum Romano imperio, nihil antiquius habuit cogitatione divinæ æternæque Christi dignitatis, a qua scribendi initium

fecit, demonstraturus inde, non novam sed antiquissimam esse christianam religionem. At Herodoti etiam Musas inchoantis animo similis obversata est cogitatio, neque vere magna esse, quæ magna esse videntur, neque vere parva, quæ parva esse videmus, quippe quum quæ injuste et impie agendo creverint, vana sint, et brevi dilabantur, quæ autem parva et exigua sunt, in majus evehi possint, eam enim esse humanarum rerum sortem. Itaque *τὸν οἶδα αὐτὸς*, præfatus est I, 5., *πρῶτον ὑπάρξαντα ἀδίκων ἔργων εἰς τοὺς Ἕλληνας, τοῦτον σημήνας* (Croesum, illustre fragilitatis humanarum opum documentum) *παραβήσομαι εἰς τὸ πρόσω τοῦ λόγου, ὁμοίως σμικρὰ καὶ μεγάλα ἄστεα ἀνθρώπων ἐπεξιών. Τὰ γὰρ τὸ πάλαι μεγάλα ἦν, τὰ πολλὰ αὐτῶν σμικρὰ γέγονε· τὰ δὲ ἐπ' ἐμεῦ ἦν μεγάλα, πρότερον ἦν σμικρά. Τὴν ἀνθρωπηΐην ὦν ἐπιστάμενος εὐδαιμονίην οὐδαμᾶ ἐν τωὐτῷ μένουσαν, ἐπιμνήσομαι ἀμφοτέρων ὁμοίως.*

Quæ modo dicta sunt, quamquam intermixta profani auctoris verbis, eo jam respicere nos jubent, unde egressi sumus. Quod enim, ut eandem illam sententiam Apostoli verbis reddamus, *τὸ μωρὸν τοῦ θεοῦ σοφώτερον τῶν ἀνθρώπων ἐστὶ, καὶ τὸ ἀσθενὲς τοῦ θεοῦ ἰσχυρότερον τῶν ἀνθρώπων ἐστὶ* (I. Cor. 1, 25.), ad spiritum illum referendum est, quem largitus est Deus ecclesiæ suæ. Quo

spiritu conditam olim, servatam, auctamque per tot secula ecclesiam christianam nunquam non regi, nulloque deesse tempore nova summi Dei μεγαλεῖα, pleno ore prædicanda, hoc maxime est, quo gaudeamus festis his diebus, intima animi nostri conscientia memores, spiritum hunc, optimum libertatis vindicem, πνεῦμα esse non δουλείας, sed υἱοθεσίας.

P. P. Sub sigillo Facultatis nostræ evangelico-theologicæ d. 17. Maii MDCCCXXXIV.